

CCXV.

Anno 1683. 21. Julii. Passaviae.

Leopoldus Rex Banum requirit, ut quo majores copias in Regno colligat, quae a Turcis obsessae Viennae in auxilium mitti possent.

Leopoldus Divina fauente clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus.

Spectabilis ac Magnifice, fidelis Nobis syncere dilecte. Notum erit, hostiles Turcarum et Tartarorum copias, rupto ad Arrabonem passu, non solum partem Regni Hungariae, sed etiam Austriae vndequaquam caede, incendio, rapina, adeoque ferro flammaque cuncta devastasse, et tandem numerosum Exercitum Turcicum vsque ad maenia ciuitatis Viennensis penetrasse, quae etiamnum ex aliquot suggestibus tormentis quattuntur, Praesidio nostro interea se valorose defendente. Nunciatur, omnes ferme, paucis exceptis, in regno Hungariae manus dedisse, atque ad contrariam inclinare partem.

Nos autem continuo fidelitatis et erga Nos Domumque Nostram Austriacam deuotionis studio, quo praedecessores Vestri claruerunt et Vosmet semper hucusque pari fervore et zelo exhibuistis, totiusque Regni Croatiae constantiae confisi, benigne speramus, hoc periculoso et turbulento tempore ex amore etiam Religionis, una cum Magnatibus aliisque statibus Regni, nullatenus a Nobis recessuros, sed firmos tam fide quam valore mansuros, aliorum infidelium obtreactione sprete et non curata.

Praestolamur auxiliares copias non solum ex Regno Poloniae, sed etiam ab Electoribus et circulis Romani Imperij, mox adventuras, quibus armis Nostris accedentibus succursum et solutionem obsidionis Viennensis sumus tentaturi. Interea copias, quantas poteritis, ibidem contrahi et paratas haberi desideramus, quatenus etiam cum memoratis auxilijs coniunctae, simul operam suam militarem exhibere et operationis tam importantis effectum promouere possint. Facietis in eo officium auito Vestro Nomini conveniens et simul Nobis totique Christianitati proficuum; cedet quoque in vestri laudem et memoriam immortalem, firmiter sperantes, Deo opitulante, per copias auxiliares undique affluentes, vestramque cooperationem, breui status moderni faciem mutatam iri, futuramque occasionem, hanc Vestram singularem et deuotam contestationem, gratia Nostra Imperiali ac Regia certisque privilegiis et recompensationibus recognoscendi. Praestolamur super eo responsum vna cum opinione vestra, quomodo hanc benignam intentionem Nostram effectui mancipare existimetis. De reliquo Caesarea Regiaque gratia Nostra vos benigne complectentes. Dabantur in ciuitate Passauensi die Vi-